

## 1552 juny 27. Casa del Consell General

*Els representants del Consell General de les valls d'Andorra, tot ratificant allò que Pere Màrtir Viciat, de Meritxell, conseller de Canillo, i Joan Antoni Torres, àlies Beringuer, de la Mosquera, conseller d'Encamp, han fet com a representants de les Valls en diversos afers, els nomenen procuradors davant el lloctinent general de Catalunya i la reial audiència de Barcelona per defensar les Valls en el plet contra Dídac Homedes, senyor del Vernet.*

R. Nota de llibre notarial, Andorra la Vella, ANA, TCN, núm. 312, fols. 3-4.

a. PUJAL; LLADÓS, *La Domus*, pàgs. 184-185.

Noverint universi quod nos, Ioannes Raymundi Fontana, del Vilar, Ioannes Vidal, de Arinsolt, consules, Petrus Martir Viciat et Ioannes Bonit, del Vilar, consiliarii, omnes parrochie de Canillo, Giraldus Tomas, Ioannes Tomas, consules, Ioannes Anthonius Torres, alias Beringuer, loci de Mosquera, Bernardus Casal, consiliarii, omnes parrochie d'Encamp, Arnaldus Vidal, consul, Anthonius Rossel, Guillermus Oliva, consiliarii, omnes parrochie de Ordino, Iohannes Giberga, Petrus Puy, consules, Anthonius Torner, consiliarius, omnes parrochie de la Massana, Petrus Ricart, Bortolomeus Ricart, consules, Gervasius Moles, Iacobus Babot, consiliarii, omnes parrochie Andorre, Raymundus Danís, Micael Albinyà, consules, Ioannes Martí et Anthonius Thor, consiliarii, omnes parrochie Sancti Iuliani de Lòria, vallium Andorre, omnes predicti concordantes et nemine discordante, convocati et congregati ad sonum campane, prout moris est, in Domo Consilii vallium Andorre, que sita est in loco Andorre Veteris, ibi Consilium Generale tenentes et celebrantes ubi iam alias ad tenendum Consilium Generale pro negociis comunibus dictarum vallium Andorre soliti sumus convocari et congregari, universitates et singulares dictarum parrochiarum vallium Andorre representantes habitoque inter nos tractatu et matura deliberacione ach diligenti colloquio, nominibus nostris propriis et dictarum universitatum et singularium earundem, absencium, presencium et futurorum, gratis et ex nostris certis scienciis, nominibus nostris propriis ach dictarum universitatum et singularium earundem, laudando primitus, aprobando, ratificando et confirmando compromissum per vos, Petrum Martirem Viciat et Ioannem Antonium Torres, nomine nostro, dictarum constituentium, universitatum et singularium dictarum parrochiarum de Canillo, d'Encamp, de Ordino, de la Massana, de Andorra et de Sanct Julià, factum et

[firma]tum [cum magni]ffico Hugone [Fivallerri], domicello, in [civitate Barchinone] domiciliato, [domino de] Araprunyano, [prout plenarie] constitit [...] a magnifico Didaco sive Diego Homedes, domino loci del Vernet, prout de eius potestate constat instrumento recepto per discretum Ioannem Pallargues, notarium de Albelda, die XIII mensis februarii, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo, omnia et quecumque acta, facta, gesta, procurata et enantata circa negocia supra et infrascripta per vos, honorabiles Petrum Martirem Viciat loci de Merixell, parrochie de Canillo, et per Ioannem Anthonium Torres, alias Beringuer, loci de Mosquera, parrochie d'Encamp, et per utrumque vestrum insolidum, eiis videlicet melioribus via, modo et forma quibus melius et efficacius de iure possimus, facimus, constituimus, creamus et solempniter ordinamus syndicos, actores et procuratores nostros et dictarum universitatum et singularium veros, certos et speciales et ad infrascripta prout etiam generales, ita tamen quod specialitas generalitati non deroget nec econtra, videlicet vos, prenarratos honorabiles et providos Petrum Martirem Viciat loci de Merixell, parrochie de Canillo, et Ioannem Anthonium Torres, alias Beringuer, loci de Mosquera, parrochie d'Encamp, presentes et honus huiusmodi sindicatus in vos sponte suscipientes, et utrumque vestrum insolidum, ad videlicet pro nobis, dictis constituentibus, universitatibus et singularibus omnium parrochiarum dictarum vallium Andorre, ad faciendum, inhibendum, contrahendum, dandum et firmandum pro nobis, dictis constituentibus, dictis nominibus, ach in personas nostras et dictarum universitatum et singularium omnium parrochiarum vallium Andorre pacem finalem et seu pacem et treugam ad certum tempus vel ad imperpetuum, inter nos, dictos constituentes, nominibus predictis, universitates et singulares omnium parrochiarum dictarum vallium Andorre, parentes, amicos, valitores nostros, fautores et pas[tores] nostros, dictorum constituentium, universitatum et singularium dictarum vallium Andorre, ex una parte, et magnificum Didacum sive Diego Homedes, dominum del Vernet et suos complices, [paren]tes, [amicos] et valitores suos et alias quasvis personas cum quibus vobis, dictis sindicis, seu altero vestrum bene visum fuerit et placuerit et poteritis cum eodem concordare, interve[nire, terminare] consensu circa dictam pacem et treugam tractandas multum illustrissimi domini locumtenentis generalis in principatu Catalonie seu consilii regie audiencie civitatis Barchinone sive [...] de adherencia dicti de Vernet sive non, super et pro quibuscumque iniuriis, odiis, rancoribus, diffidamentis, vulneribus, [ruinis], dampnis et interesse dictis constituentibus, universitatibus et singularibus dictarum Vallium seu aliis de [ipsarum] parte aut valitoribus seu pastoribus factis et illatis qualitercumque et quomodocumque. Et pro hiis

et eorum occasione concordandum, capitulandum, componendum, paciscendum, transhigendum in nobilem dominum [Franciscum Mecha], dominum castri de la Bastida de Pons, diocesis Urgellensis, tanquam in arbitrum, arbitratorem, laudatorem et amicabilem compositorem, videlicet per viam iuris dumtaxat, in sentenciando et declarando inter nos, dictos constituentes, universitates et singulares dictarum vallium Andorre ex una et dictum magnificum Didacum sive Diego Homedes, dominum del Vernet, et alias quasvis personas, coniunctim seu divisim, partibus ex alia, causis et rationibus superius dictis et allegatis, cum vel sine pena compromittendum, bona dictorum constituentium yppotecandum et obligandum et quascumque sentencias, pronunciaciones et lauda inde ferendas et promulgandas, tam in principatu Catalonie quam in villa Montissoni et in aliis quibuscumque locis ibi dictus dominus arbiter voluerit et placuerit declarare et sentenciare, laudandum et emologandum cum iuramento et aliis clausulis vobis, dictis sindicis, seu altero vestrum bene visis. Et inde quecumque instrumenta ex dictis sentenciis seu promulgacionibus dependencia et emergencia et omnia alia et singula ad predicta necessaria et oportuna et vobis, dictis sindicis, actoribus et procuratoribus, seu altero vestrum bene visa pro nobis, dictis constituentibus, universitatibus et singularibus faciendum et firmandum. Et inde quecumque instrumenta concordiarum, capitulacionum, paccionum, compositionum, transaccionum compromissorum, sentenciarum arbitralium et alia etiam instrumenta ex ipsis dependencia ad predicta necessaria, cum illis videlicet pactis, pactionibus, stipulacionibus, promissionibus penarum, adieccionibus temporum, prefixionibus bonorum nostrorum, dictorum constituentium, universitatum et singularium obligacionibus et alias, prout vobis, dictis sindicis, seu altero vestrum fieri videbitur laudandum et firmandum, sentenciam atque sentencias arbitrales per viam iuris latas et promulgatas audiendum et eas laudandum, emologandum et aprobandum et ad promiscendum pro dictis constituentibus, dictis nominibus, ach dictarum universitatum et singularium predictarum predictas pacem finalem vel pacem et treugam, et cum secutitates ad tertum tempus vel ad imperpetuum, pactis tamen condicionibus et retensionibus predictis nobis et dictarum universitatum et singularium semper salvis inter vos, dictos syndicos, actores et procuratores nostros superius constitutos et utrumque vestrum insolidum de cetero prohibendas et faciendas, et etiam tam factas, laudatas et firmatas semper attendere, tenere et observare et in nullo contrafacere vel venire, nech eiis et quilibet ipsorum aliquod malum nech dampnum, palam vel oculte, facere vel inferre, sub illis penis corporalibus ach pecuniariis quas vos, dicti syndici, actores et

procuratores nostros seu quemlibet vestrum, imponere possitis et valeatis, promissionibus, stipulacionibus, obligacionibus, submissionibus, renunciacionibus, clausulis et cautelis ad hec utilibus et necessariis et prout vobis, dictis sindicis, actoribus et procuratoribus nostris seu altero vestrum, bene visum fuerit et placuerit. Et super ach, pro premissis omnibus et singulis et eorum observacione, iuramentum et iuramenta ach homagia ore et manibus comendata in animas nostras, dictorum constituentium ach universitatum et singularium predictarum vallium, prestandum, tam in posse dicti domini locumtenentis [seu] aliis quam in posse cuiusvis algutzili et in posse alterius officialis et persone de hiis potestatem habenti, cum vel sine [pacis]. Et demum ach generaliter, omnia alia et singula faciendum et libere exercendum in predictis et circa predicta que ad hec utilia fuerint et necessaria seu quomodolibet opportuna, [...] maiora, graviora seu duriora fuerint superius expressa[tis ...] mandatum exhigerent magis speciale quam presentibus sit expressa[...] facere possemus personaliter constituti si adessemus. Nos [enim damus] et comittimus vobis, dictis sindicis, actoribus et procuratoribus nostris et altero vestrum insolidum, in predictis et circa ea, plenarie vices nostras et dictarum universitatum et cum plenissima potestate et facultate. Promittentes vobis et notario etiam infrascripto, tanquam publice persone pro vobis et aliis etiam personis omnibus et singulis quarum interest et intererit recipienti, paciscenti ach etiam legitime stipulanti, ac etiam iuramus in animas nostras per dominum Deum et eius sancta quatuor Evangelia, manibus nostris et cuiuslibet nostrum dextris gratis corporaliter tacta, nos semper habere ratum, gratum, validum atque firmum quicquid per vos, dictos syndicos seu per alterius vestrum insolidum in predictis et circa procuratum et actum fuerit sive gestum et illud nunquam revocare sub bonorum nostrorum, dictorum constituentium, universitatum et singularium yppoteca et obligacione.

Actum est hoc in Domo Consilii vallium Andorre, que sita est in loco Andorre Veteris, die vicesima septima mensis iunii, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo.

Sig+++++++na<sup>1</sup>.

1. Manca la relació d'atorgants i de testimonis. No hi ha cap element que ens indiqui si es va fer la redacció de la nota del llibre o la del document en pública forma. Aquest llibre notarial, en el seu format actual, només té 34 folis i al foli 4 hi ha la part final d'un altre document, tot evidenciant un relligat incorrecte. Igualment, el llibre comença amb la part final d'un document.